

infans fui et insipiens, nunc incipiam vir esse. Item S. Antonii, qui moriturus suis dicebat: « Hodie vos religiosum studium arripuisse arbitramini, » apud Athanas. Cogitet et Christianus, hodie primum se baptizatum esse et Deo servire cœpisse. Ut enim navarchus ad Indos navigans remigantes, et ipsi sese mutuo quotidie ad remigandum admonere solent, quasi nihil adhuc itineris confectum sit, ita nobis agendum: multum enim itineris restat adhuc emetiendum; ad cœlos navigamus: quam longe adhuc absumus?

Secundum, inquit S. Carolus: « In mente semper habete Deum et jugiter cogitate in ejus præsentia versari: spectaculum enim facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. » Idem admonuit nos apostolus cum ad Rom. XIII. dixit: *Sicut in die honeste ambulemus.* Qui noctu ambulat, parum curant, an et quomodo vestiti sint, nec componunt se ad honestatem: secus qui interdum. Quod si ad lumen solis et oculos hominum componimus mores nostros, si inspectante sole multi arcentur a furtis, adulteriis, homicidiis, quanto magis verendi sunt oculi Dei omnia nostra semper observantis et quidem exactissime? *Oculi enim Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum, abyssi et hominum corda intuentes in absconditis partibus,* (ait Ecclesiasticus, c. XXIII.)

Tertium, inquit idem sanctus: « Effice ut omnia tua opera tendant ad Deum. » Ut enim jaculator, si frustra jaculari non vult, oculo prius ad scopum collimare debet, ita si nobis opera nostra non volumus perire, dirigamus ea omnia oculo intentionis ad Dei gloriam. Mane ergo cum surgimus, offeramus Deo omnes actiones nostras die sequentis, etiam indifferentes. Docuit et hoc apostolus, I. Cor. X. dum ait: *Sive ergo manducatis, sive bibitis sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Hac ratione omnia opera nostra plena invenientur et intra paucos dies multum proficiemus. Sagittantes oculum sinistram claudunt, ut collectior sit dexter et rectius collimet; ita etiam nobis claudenda sinistra intentio affectuum terrenorum, ut in nostra conversatione non quæramus hominibus, sed Deo placere: vide supra dom. infra oct. nat. conc. D. II.

III. Proficiendum gratia, ut videlicet Deo semper magis placeamus fiamusque gratiores, adeoque gratiam Dei in nobis per opera bona augeamus. Ad hoc enim connituntur aulici; semper magis student promereri gratiam sui principis, et si eo devenerint, ut per ipsum ex nobilibus barones facti sint, conantur suis obsequiis ita principi servire ut ex baronibus comites, et ex his

tandem fiant principes. Et nonne res pudenda erit si homines hominibus magis placere studeant, quam Deo suo? Sed qua via, quis, crescere in gratia possum? Dico primo, remota esse ea, quæ oculos Dei offendunt, etiamsi parva sint et defectus quotidiani: licet enim per hæc non perdat homo gratiam Dei, reddit tamen se indignum specialibus gratiis, quibus præservaretur a multis peccatis, in quæ sine illis cadet. Si enim ipse tam parcus est erga Deum, ut non velit nisi gravia peccata vitare in ejus gratiam; quid mirum si et Deus tam parcus sit erga ipsum, ut non velit ei dare gratiam specialem et efficacem, sed solum sufficientem? Imprimis vero cavendum, ne studiose et dedita opera committamus ejusmodi venialia delicta; siquidem hæc involvunt aliquem Dei et divinæ legis contemptum, quasi liceret quidem Deo colaphos impingere, modo vita ei non eripiat. Quid? Nonne sat grandis injuria fuit Christo, colaphizari a Judæis? Quis hoc pacto non indignum se ampliori gratia imo et ea quam habet, reddat? Sufficiat nobis multa quotidie inadvertenter et ex fragilitate delinquere; non addamus alia ex certa electione.

Secundo, examinandum crebro conscientiam. Ita docet S. Augustinus, serm. XV. de verbis apostoli: « Proficite, inquit, fratres mei, discutite vos ipsos sine dolo, sine adulatione, sine palpatione. Non enim est aliquis intus tecum, cui erubescas et jactes te. Est tibi, sed cui placeat humilitas, ipse te probet. Proba et te ipsum tu ipse. Semper tibi displiceas, quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. » Hæc Augustin. Objurga temetipsum quotidie et dic: Si toto hoc tempore, quo in schola Ecclesiæ sum, artificio alicui me applicuissem, quid non didicissem? Si ad studia litterarum, nunc doctor essem. Jam vero postquam tot tantaque sanissima documenta in Ecclesia audivi, legi, vidi, adhuc tam rudis, tam immoderatus et passionibus meis subiectus sum. Ah me miserum et miserandum! Jam enim incanui, jam pedem unum in sepulcro posui, et necdum tamen didici jurare, execrari, blasphemare, inebriari, commoveri ad iram, etc.

Tertio, exerce te in mortificatione et virtutum operibus, et in his paulatim proficere stude. Id pulchro apologo docet abbas ille in vitis pp. libro V. cap. VII. « Homo quidam, inquit, habuit possessionem, et de negligentia ejus in sentes redacta est, et repleta est tribulis et spinis. Visum est autem ei postea, ut excoleret eam; et dixit filio suo: Vade et purga agrum possessionis illius. Et venit filius ejus ut purgaret: qui

eum respexisset, vidit multitudinem tribulorum et spinarum increvisse ei: et deficiens animo, dixit ad seipsum: Quando ego habeo hæc omnia eradicare et purgare? Et projiciens se in terram cœpit dormire. Hoc autem facit multis diebus. Post hæc venit pater ejus videre quid fecerat; et invenit eum nihil operatum, et dixit ei: Quare usque modo nihil fecisti? Et dixit juvenis ille patri suo: Mox ut veniebam operari, pater, cum vidissem multitudinem hanc tribulorum et spinarum, revocabar ab assumptione laboris, et præ tribulatione projiciebam me in terram et dormiebam. Tunc dixit ei pater suus: Fili, ad mensuram latitudinis, quam jacens in terra occupas, per singulos dies operare, et ita paulatim proficiet opus tuum, et tu pusillanimitas non efficietis. Quod cum audisset juvenis, fecit sic: et in parvo tempore purgata est, et exulta possessio. Et tu ita frater, paulatim operare, et non deficies. Et Deus per gratiam suam restituet te iterum priori ordini tuo. Hoc audito, frater ille abiit, et cum omni patientia sedens faciebat, sicut edoctus fuerat a sene: et sic invenit requiem et promovebatur per Dominum Christum. »

Sic proficiebat paulatim S. Carolus Borromeus, qui primo cœpit se in parvis mortificare et vincere, faciles pœnitentias suscipere, singularum virtutum faciles actus obire: deinde quotidie ulterius ad graviores et difficiliore progrediebatur, habebatque hoc fixum animo, non cessare, non sistere, sed quotidie progredi, donec summum virtutis culmen attingeret, v. g. una septimana abstinere vino, alia carne, tertia pisee, quarta ovis, etc. Itaque eo tandem pervenit, ut ultimis vitæ annis quotidie solo pane et aqua viveret, exceptis festis, etc. ut narrat auctor vitæ ejus, lib. VIII. cap. XXI. Hunc in modum assuesce paulatim ab execratione, blasphemia, ira, ebrietate aliisque quotidianis tibi vitis abstinere; primum uno saltem die, postmodum una hebdomade, deinceps integro mense, demum anno toto. Sed et hoc non possum, inquis. Quid vis tibi ad hoc respondeam? Ad infernum apage sis. Quid enim fit scholari, qui semper in eadem schola sedens, nunquam ascendit ad altiorum, quia nihil proficit? Nonne tandem expellitur e schola? Idem te judicium expectat. Si in schola Christi tamdiu sedens nihil proficisti, ad diaboli scholam perge, ubi ipse et inferi ejus in æternum non proficiunt. Ibi resipiscas, sed damno tuo, et sero nimis. Antiqui eos, qui stupidi prorsus et omnis disciplinæ incapaces erant, Antieyras navigare jubebant, velut ad extremum desperatos remedium, quod

ibi helleborum proveniret purgando capiti idoneum. Qui in schola Christi nihil vult addiscere, mittendus est ad infernum, ut saltem eo naviget mente et consideratione. Ibi crescit herba huic stultitiæ pellendæ commoda, æternus scilicet ignis. O quam ibi aperient oculos cum epulone illo et ad cœlum elevabunt? Luc. XVI. Quam ibi resipiscant miseri damnati? Quam ibi se redarguent, quod in vita non profecerint? Nonne epulo ille petiit ex inferno, mitti ad fratres suos ut docerentur cavere gehennam? Sed quid hoc profuit ipsi? Nunc herba illa potenda est et gehenna meditanda. Ad extremum, triplicem hunc profectum postulemus a Deo assidue, dicendo cum Davide, Psalm. CXVIII. *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. Bonitatem, ecce profectum in gratia: disciplinam, ecce profectum in ætate: scientiam, ecce profectum in sapientia.*

CONCIO VI.

DE TRIBUS VIRTUTIBUS QUAS EXERCET CHRISTUS IN EUCHARISTIA.

I. Summam humilitatem. — II. Summam patientiam. — III. Summam obedientiam.

THEMA.

Descendit cum eis et venit Nazareth et erat subditus illis. Luc. II.

Inter alias causas ob quas Christus Dominus in Ecclesia nobiscum remanere in s. eucharistia voluit, non minimam esse mihi persuadeo eam, qua intendit nobis præbere exemplum earum virtutum, quæ nobis difficiles videntur, humilitatis, patientiæ, obedientiæ. Poterant enim discipuli Domini dicere ipsi abeunti in cœlum: Domine, tu quidem vadis jam ad patrem et gloriam, nihil amplius passurus, nec socius passionum nostrarum futurus; nos vero relinquitur hic orphani, quibus tam dira, tam tristia prædixisti: spernemur et exprobrabitur nomen nostrum, flagellabimur, ducemur quo non volumus: et nos quidem sine te. Verum hanc querelam Christus amolitus est, dum nobiscum remanere decrevit in eucharistia; ubi verissimus est noster Emmanuel, id est, nobiscum Deus, nobiscum, inquam, in humilitate, patientia, obedientia. Tres hæ virtutes eluxerunt in Christo puero, cum descendit in Nazareth: humilitas cum audimus: *Descendit cum eis*: patientia, cum dicitur: *Et venit Nazareth*: obedientia, cum additur: *Et erat subditus illis.* Et has easdem exercet Christus etiamnum,

eum, mediante eucharistia, descendit ad nos in terras, uti ostendemus.

I. *Descendit cum eis*, ab Jerosolyma videlicet in Nazareth; ecce humilitatem. Nam primo, qui descendit ab Jerosolyma, urbe principe, in tam vilem vicum, de quo dicebant Judæi: A Nazareth potest aliquid boni esse? Is est qui etiamnum in eucharistia de cœlesti Jerusalem descendit in vilissimum hunc mundum, qui plenus miseris vix punctum est respectu cœli. Ut non immerito vocetur Joann. VI. *Panis de cœlo descendens*, nimirum quando ad hominem descendit, de supremo ad infimum locum. Unde Osee XI. ait: *Declinavi ad eum ut vesceretur*, sicut mater videlicet se inclinavit super infantem jacentem in cunis, ut lac ei porrigat. Audiamus S. Augustinum, sermon. CXXVII. de temp. « Unde, inquit, commendavit Dominus noster corpus et sanguinem suum? De humilitate sua; nisi enim esset humilis Deus, non manducaretur nec biberetur. » Concluditque: « Semetipsum exinanivit, ut manducaret panem angelorum homo. Quia ergo homo ad illum panem non poterat ascendere, dignatus est panis ipse descendere ad hominem. » Nos certe deberemus ad eum ascendere; et en ipsa venit ad nos. Unde cum Joanne ei dicere possumus; *Tu venis ad me?* Matth. III. Idque tanto magis mirum, quod post gloriosam suam ascensionem et sessionem ad dextram Patris ad nos descendit. Homines certe ubi semel ad dignitates evecti sunt, non facile amicos veteres agnoscunt, aut ad eos se demittunt, quia honores mutant mores: non ita Dominus noster. Qui enim post resurrectionem suam discipulos suos vocavit fratres, eum iis comedebat, ibat, loquebatur tam familiariter ut antea: hoc ipsum nunc nobiscum facit post ascensionem suam in eucharistia.

Secundo, quia in humillima specie abscondens gloriam suam, sub accidentibus panis et vini in humillima et abjectissima sæpe loca hominumque pectora descendit, nec asservari dedignatur in vilissimis etiam receptaculis. Annon ea magna esset humilitas, si princeps quis rusticulum pauperem visitaturus, audiret domunculam ejus esse humillimam et ostiolum tam parvum, ut nemo nisi profunde inclinatus et quasi reptans intrare posset, adhuc diceret: Ego intrabo nihilominus? Atqui hoc facit Dominus in eucharistia, cum ingreditur pectus nostrum. *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*, ad Philip. II. quando homo factus est. Verum in eucharistia longe magis se exinanit, cum formam panis induit.

Tertio, quia descendit sine differentia tam ad cœdes pauperis, quam divitiarum; sumiturque tam

ab illo, quam ab isto; venit ad saniosos, leprosos, ad eos itidem, qui eras suspendentur, fures; nullo prorsus discrimine, cum nos sæpe horreamus tales manibus contingere. Nunquam putamus audistis dici a sacerdotibus: Pauper est vester infirmus, adducite eum ad templum: vel dives est iste, maneat domi, veniemus ad illum. Nec in templo: Tu quis es? Princeps? Sedeat ergo tua celsitudo ad communicandum. Tu quis es? Nobilis? Assistat ergo tua nobilitas ad altare. Tu quis es? Pauper? Expecta igitur retro januam, donec hi absolverint cœnam suam. Nihil horum. Quinimo in evang. Luc. VII. legitur Dominus voluisse descendere ad servum centurionis, noluisse ad filium reguli: *Ut nos doceret*, (ait auctor operis imperf. hom. XXII.) *non magnos colere, et modicos contemnere, sed pauperes et divites similiter honorare*. Nimirum ad omnes homines æqualiter se demittit Christus; sed si faciendum esset aliquod discrimen, potius ad humiles et servos se demitteret, quam ad magnates et reges. Vidi ego vestigia et locum miraculi illius, in Sefeld non procul Oeniponto, qui Oswaldus Mulser vir nobilis cum majorem sibi hostiam, quam vulgus acciperet, porrigi in communionem vellet, sub communionem dehiscente terra subsidit usque ad genua, altari prehensio velut cera digitis cedente, quod scribit Til. Bredenbach. lib. I. sac. collat. c. LV.

Cogitet jam sacerdos manibus contractans eucharistiam, cogitet laicus videns illam. Ecce Dominus et Deus noster descendit ad nos in mundum; in nostrum templum, nostram domum, nostrum pectus, tam humili et vili specie, nullo apparatu. *Quid superbis terra et cinis?* inquit Eccl. c. X. *Quis tu mons magne coram Zorobabel?* (ait Zacharias, c. IV.) *In planum, q. d. humilia te, vel pudeat te. Zorobabel dux Juda et restaurator templi, Christi figura est, et alienus a confusione exponitur. Ecce quam alienus a confusione Christus est, qui non confunditur tam vili schemate apparere!* Quomodo non nobis oclamat illud Matth. XI. *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde?* Et illud Luc. XIX. *Festinus descende; de arbore scilicet elationis tuæ; siquidem ego propter te descendi de cœlo, ut venirem in domum tuam?* Alexander Magnus interiorem Persidis regionem peragraturus cum videret eam nivibus obsitam perpetuis, loca squalida et solitudines invias, ita ut miles territus reverti cogitaret, ex equo desiliit, pedesque per nivem et concretam glaciem ingredi cœpit. Erubuerunt non sequi primum amici, deinde copiarum duces, ad ultimum milites: primusque rex dolabra glaciem perfringens iter sibi fecit. Exemplum regis cœteri imitati sunt, Curt. I. V. de rebus Alexand. Vult

etiam nos Christus per hujus vitæ solitudinem asperrimam ducere ad bravium gloriæ; sed quia nos tergiversantes vidit, ideo descendit ipse de gloria sua, ut et nos descenderemus de superbia nostra ipsumque præeuntem humili corde sequeremur; quis hoc facere nunc detrectet?

II. *Venit in Nazareth*. En patientiam, dum habitare non detrectat inter malos homines. Tales enim fuisse Nazarenos patet ex Nathanaele dicente, Joan. I. *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Item ex Luca, cap. IV. Ubi Nazareni ejiçunt Christum extra civitatem et ducunt ad supercilium montis, ut eum præcipitent. Et Matth. XIII. increduli sunt et contemptores Christi Domini: *Nomine hic est filius fabri?* inquirunt. Sed etiamnum habitat quasi in Nazareth Christus mediante eucharistia, quia in mundo perditissimo, et quanta hic patitur, quis explicet? Primo, fit quodammodo extorris et exul, dum in Ecclesia constitutus deseritur, et solus in obscuro relinquitur angulo, vel etiam expositus ad venerationem aut per compita gestatus ad ægrum deseritur. Annon magna esset regis patientia, si in publicum procedentem nemo comitaretur, sed omnes ad sua festinarent, vel eo in ædibus suis morante, nulli prorsus servi domum circumstarent aut vigiles, et interim tamen rex hoc silens toleraret? Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambivisse, dicitur Cant. III. Et lectulo Christi in templo multoties nemo adest. Certe scandalizantur hinc hæretici et in perfidia sua obfirmantur. Dicunt enim nos, postquam Deum nostrum adoraverimus, eum recludere in angulo quodam quasi carcere, et tum eo relicto solo in tenebris omnes diffugere. Dicere nobis verissime et maxime hic posset Dominus, quod Matth. XXV. dixit reprobis illis hædis: *In carcere (eram) et non visitastis me*. Certe adeo festinanter aliqui e templo pedem efferunt, quasi in carcere fuissent. Exigua cautela et reverentia æpenumero asservatur eucharistia: et tamen id Christus fert, ibique nos expectat; veluti pharmacum in pharmacopolio positum expectat ægrum.

Secundo, ab innumeris hominibus ad præcipitium ducitur, imo et præcipitatur, quantum in ipsis est; dum videlicet a peccatoribus ore contaminato sumitur, vel mox iterum expellitur et quasi de monte dejicitur; de monte, inquam, sanctitatis, quam in die communionis homines præ se ferunt, in barathrum impuritatis, quo se rursum præcipitant. Non præcipitatur quidem Christus, sed transit per medium illorum illæsus et desinit habitare in talibus: non ideo tamen illi rei non sunt hujusmodi præcipitii. Albertus Crantzius, l. I. c. IX. hist. de Widekindo Saxonie

duce adhuc infideli scribit, eum aliquando in castris Caroli Magni regis clam spectantem, ipso paschæ die vidisse sub communionem Christianorum, quod de manu purpurati sacerdotis singuli pulchellum puerum in os susceperent, et quibusdam ludibundum arridere et ultro ad eos prope-rare: ab aliis vero abhorrentem vultum avertere, et tamen in ora demitti nec resillisse indeque ducem ad fidem conversum esse. Certe si puerum quempiam leoni objectares, quid tristius et horribilius ei facere posses? Atqui peccatorem impœnitentem plusquam leonem horret Christus; unde Ps. XVI. queritur: *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam* (hi sunt manifesti peccatores) *et sicut catulus leonis habitans in abditis* (et hi sunt occulti). Rem horrendam putaremus, si videremus eucharistiam comedi a mure: et tamen hoc Christo parum imo nihil obest, quia nulla interest inimicitia inter Deum et murem, sed potius relatio bona creatoris ad creaturam suam: multo horribilius est eam sumi a peccatore: quia hic inimicus Dei est.

Tertio, a plurimis etiam hominibus, maxime tamen hæreticis, contemnitur, vilipenditur, laniatur, conculcatur, etc. Quot injurias tolerat a Calvinistis? Quot a sagis et magis? Quot toleravit et tolerat adhuc a Judæis, qui eum toties pupugerunt, percusserunt, usserunt? Et quidem hæc omnia fert propter justos, ut ab his saltem digne et fructuose sumatur. Quanta foret patientia ejus mercatoris, qui ut panes afferret suis, per castra inimicorum transiret, sæpe interceptur, spoliaretur, percuteretur, et ubi ad suos venerit, a paucissimis, quibus panes dedit, solveretur, sed vacuus sæpe et egenus, imo verberibus mulctatus remitteretur, nihilominus tamen crebro ad eos penetraret summo suo periculo? Certe hoc Christus facit; per tot enim calumniatorum agmina ad nos penetrat, et ubi advenerit, a paucis honeste, a multis omnino non accipitur: a plurimis, qui satisfactionem et emendationem ante eucharistiam spondent, non solvitur: ab alijs, qui in scelera relabuntur, percuitur quodammodo et turpiter ejiçitur. Cogita jam, o homo, quid unquam pateris in vita, quod his æquari possit? Ab amicis forte desereris? Aspice Christum in templo sæpissime desolatum et desertum. Forsan inimicum prope te aspiciere cogaris? Ecce Christus ab inimicis suis etiam comedi se patitur. Forsan contemneris? Attamen pedibus nondum conculcaris, nondum dilaniaris: id quod Christo in eucharistia accidit non semel.

III. *Erat subditus illis*. En obedientiam. Ea re-lucet primo in hoc, quod ad vocem sacerdotis

in momento adest in altari, et toties, quoties vocatur. Magna fuit illa potestas, qua Moyses eduxit aquam de petra, Exod. XVII. Magna et Eliæ, qua ignem de cælo adduxit in terram devorantem holocausta, III. Reg. XVIII. Magna et Josue, qua solem stare fecit in cælo, obediente Deo voci hominis, ut dicitur, Jos. X. Sed parva hæc sunt respectu potestatis sacerdotalis; non enim ibi proprie Deus obedivit, quia nec in propria persona, sed in creaturis, quasi per famulos tantum: nec per modum obedientiæ, sed per modum exauditionis fecit postulata. Non petierunt illi ut Deus sibi obediret, sed ut manna, ignis, sol: nec id obtinuerunt jubendo, sed precando: nec erant certi de impetratione, sed cum aliqua formidine. Nihil horum hic. Transubstantiatio enim fit a sacerdote per modum potestatis ordinariæ indelebilis, et quidem infallibiliter, et in ordine ad Deum qui vi consecrationis in terras revocatur: hoc verius est obedire Deum voci hominis, quam id quod, Jos. X. dicitur. Jam si miratur Scriptura, quod Deus obedierit in creatura, quanto magis mirandum si obediat in propria persona? Unde non miratur centurio, quod Dominus possit imperare creaturis, ut statim obediant: *Nam et ego homo sum, inquit, habens sub me milites, et dico huic: Vade et vadit; et alii: Veni et venit.* Sed quod servus dicat Domino: Vade, et vadat Dominus; veni et veniat Dominus: hoc est admirandum et prorsus inauditum.

Secundo, obedit etiam (quod stupendum est) malis sacerdotibus et indigne consecrantibus, communione abutentibus, ut hæreticis, sagis, etc. Vocaverat princeps quinquagenarius cum quinquaginta viris Eliam, ut descenderet ad regem Ochoziam, vocans eum hominem Dei irrisorie, ut ibi Lyran. et alii; sed loco Eliæ descendit ignis de cælo et devoravit eos: quod iterato et totidem viris contigit, IV. Reg. II. Minus profecto mirum foret, si sacerdote indigne consecrante ignis pro Christo descenderet eumque devoraret. Sed hoc tamen non fit: pauci leguntur hic puniti: omnibus obtemperavit Christus. Videntur isti ad Christum dicere, quod Goliath ad Davidem dixit, I. Reg. XVII. *Veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus cæli et bestiis terræ.* Non obsunt quidem Christo ejusmodi injuriæ, (velut si spiritum aliquem gladio impeteres) tamen qui talia agit, quantum in ipso est, vellet omnes eas injurias Christo obesse, et ad ejus ignominiam vedere. Hæc causa fuit cur aliqui hæresiarchæ negarint Christum in eucharistia, quod indecens videretur Christum ad verba reproborum sacerdotum in hostiam e cælis deduci. *Quis credat impium sacerdotem tantum posse? aic-*

bat Zwinglius disputans cum Luthero. Lutherus e contra christianam humilitatem opponebat, Florim. Remund. de orig. hæres. lib. II. cap. VIII.

Tertio, obedit etiam homini civis, qui in infirmitate constitutus quoties petit ad se afferri eucharistiam, toties obtinet. Et quasi de jure ei debeatur, nunquam rogatur Christus ut ad ægrotum descendere dignetur, sed rogatur tantum sacerdos ut eucharistiam afferat. Perinde pro eucharistia ægri mittimus ac si pro aqua ad publicum puteum mitteremus. Multum omnino foret, si se tibi medicus quis obligaret gratis ad te venturum et curaturum te quoties ægrotaveris: certe nihilominus eum rogares ut dignaretur ad te venire. Ejusmodi medicus est Christus, de quo cum ægrotamus nunquam cogitamus, an descendere ad nos velit: sed confestim mittimus et quasi servitium quoddam nobis debitum, adventum ejus expectamus. Certe hic lapis angularis Christus est, ut enim lapis antequam ad ædificium adhibeatur, hac illac jactatur, et quocumque jaciatur, ibi manet: ita Christus in eucharistia patitur se tractari a nobis prout volumus, et in quovis corde reponi.

Quomodo igitur durum alicui fit subesse? Nam vel subjiceris majori, vel æquali, vel minori te. Primum æquum est, alterum facile, tertium non mirum, quia Christus obedit voci hominum. Vel cogaris obedire etiam malis dominis et dyscolis ut jubetur, I. Petr. II. id est, dure imperantibus: et hoc facit Christus. Diodorus Siculus, de fab. ant. cap. IV. scribit de Æthiopicis: « Si quando aliqua corporis parte rex debilitaretur, domestici omnes sponte sua eandem partem debilitant: turpe existimantes rege claudo aut monoculo esse. » Jam vero, annon in eucharistia ita nobis obedit Christus, ducitur, gestatur, ac si claudus esset aut cæcus, quia aliorum ductu indiget. Quin igitur et nos in hac virtute eum imitamur, et ductum superiorum velut cæci sequimur?

Ex his videmus nihil esse in mundo asperum, cujus socium non habeamus in eucharistia Christum. Idcirco Ezech. ultimo, nomen civitatis ibi descriptæ, id est, Ecclesiæ, ex ea die (qua scilicet ædificata) vocatur: *Dominus ibidem.* Quid quereris, o Christiane? In statu et conditione abjecta vel opprobrio es? *Dominus ibidem.* In laboribus et afflictione es? *Dominus ibidem.* In subjectione et sub jugo es? *Dominus ibidem, etc.*

CONCIO VII.

FESTIVI DIES QUOMODO COLENDI.

I. Refrærandi appetitus inordinati. — II. Vitanda peccata. — III. Conscientia mundanda. — IV. Negotia sæcularia seponenda. — V. Anima spiritualibus civibus roboranda. — VI. Anima virtutibus ornanda. — VII. Vacandum imprimis operibus misericordiæ.

THEMA.

Remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Luc. II.

Quid est, auditores, quod festivo die perditur puer Jesus? Nonne si per totum annum perdissent eum parentes ejus, festo illo die, quo pene omnis Judæa confluerat Jerosolymam ad Deum adorandum, reperturi viderentur? Ubi enim certius, ubi enim citius reperitur Jesus, quam ubi adoratur et colitur ejus Pater, quod fit in festis diebus? Ita quidem prudenter sentiendum esse videtur. Sed aliter longe se res habet. Nusquam facilius amitti solet Christus ejusque celestis gratia, quam ubi festa aguntur, quia non ut decet, aguntur. Quare ne in sanctis festivitatum Christum amittamus, ubi inveniri debet, discamus modum et rationem celebrandi festos dies ritu christiano.

Si politica exercitia, quæ in festivis diebus usu recepta sunt, consideremus, ea fere sunt ista. Claudimus officinas, vacamus ab operibus servilibus, plateas exhibemus nitidas et purgatas, molendina sistimus, lautius comedimus, cultius vestimur, denique ad forum procedimus vel deambulamus. Cæterum hæc indicia potius nostrarum festivitatum, quam officia requisita sunt; quæ tamen si spirituali sensu præstemus, bene et laudabiliter festa peragemus.

I. Claudendæ officinæ: claudendi sensus nostri et Deo ut divinis melius vacemus: ad hæc refrærandi appetitus qui alioquin per hunc mundum discurrunt, velut emptores per nundinas, omniaque sibi placentia desiderant, et comparare quærunt, tam noxia quam salubria: et hæc rarius quam illa. Pessimus mercator diabolus exponit plerumque in festivis diebus pessimas suas merces, choreas, ludos, tabernas, pugilum, gymnasia, hastiludia, pompam et luxum vestium, conventicula aliaque delectamenta. Tu vero, si sapis, transi clausis oculis nundinas istas, ne ad pestiferas coemendas merces stimuleris: alliga te cum Ulysse ad malum crucis seu mortificationis, ne exitiosum Sirenum cantum audias; Jerem. c. XVII. præcepit Judæis ne in die sabbati inferrent pondera per portas Jerusa-

lem. Similiter Nehemias videns aliquos in sabbato inferre et pisces et alia venalia in civitatem, sicque profanare sabbatum, jussit claudi portas usque ad alterum diem, Nehem. XIII. Mystico sensu nos claudere hic jubemur sensus nostros, per quos veluti per portas inferuntur in animam noxiæ peccati illecebræ. Certe olim Judæi, imo etiamnum in festo expiationis, abstinent potu, uxore, balneis, calceis, apud Corn. a Lap. in cap. XVI. Levit. Omnisque delectatio tunc eis vetita erat, teste Abulense, in Levit. XXIII. q. XXII. in festo vero paschatis solemnissimo comdebant panes azymos, insipidos et ingratos, qui idcirco panes afflictionis vocantur, Deut. XVI. addebant et lactucas agrestes amaras, Exod. XII. Romani quoque gentiles in festo Veneris vinum effundebant, ut docerent temperantiam diebus feriatis observandam, ut refert Plut. in quæst. Rom. q. XLV. E nostris S. Elisabetha adhuc juvenula festis diebus semper aliquid ornatus sibi detrahebat, modo chirothecas, modo aliud quid, apud Sur. in vita 19. novemb. Nos saltem coerceamus sensus et appetitus nostros, ne ad illicita se effundant. Mirum alioquin est, si domi nostræ festivis diebus negotiationes non admittimus, extra vero quærimus: si aliis vendere merces nolumus magno nostro commodo, interrim emimus alienas magno nostro damno.

II. Vacandum ab operibus servilibus; nec solum a corporalibus, de quibus alibi dicemus, dom. XVI. post pent. c. I. D. et ib. I. c. III. C. sed etiam spiritualibus, quæ sunt peccata; quia *omnis qui facit peccatum, servus est peccati*, ait Dominus, Joan. VIII. Rationem aliam dat S. Thom. II-II. q. CXXII. a. IV. ad III. magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus corporale licitum. Unde dixit S. August. I. de decem chordis: « Melius faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quam si in theatro seditiosus existeret: et melius femine eorum die sabbati lanam facerent, quam quod tota die in neomeniis suis impudice saltarent. » Et tract. IV. super Joan. « Absit, fratres, inquit, ut illos dicamus observare sabbatum, qui ad luxuriam et ebrietatem observant. » Profanant potius sabbatum, non secus ac Calvinistæ qui in Galliis profanarunt vasa sacra, baptisterium vertendo in cioacam, calices in matulas, altaria in mensas, vestes sacras in scenicum apparatus etc. Quemadmodum enim hæc sanctificantur cum divino cultui applicantur: ita et diei septimo seu sabbato benedixit Deus et sanctificavit illum, Gen. II. Non immerito igitur Dominus talia festa, quæ peccatis contaminantur, vocat sterquilinia, Malach. II. *Dispergam super vultum*